JOSEPHI LAURENTII MARIÆ
DE CASAREGIS
J. C. GENUENSIS COLLEGIATI,
Rotæ Florentinæ Auditoris, & pro S. Reg. Celſ.
Conſiliarii Juſtitiæ,

DISCURSUS LEGALES
DE COMMERCIO,

In quibus fuſiſſimè tractantur Materiæ concernentes

Aſſecurationes.
Naves, Naula, & Naulizationes.
Jactus, & Avarias, ſeu Contributiones.
Prædas, & Prædationes.
Societates, & Decoctiones.
Accomendas, & Implicitas.
Cambia Nundinaria, & Maritima.
Giratas literarum Cambii, & Chirographor.
Et alia ad Univerſam Mercaturam pertinentia.

TRACTATUS DE AVARIIS QUINTINI WEYTSEN in novam methodum ab Auctore noſtro ad faciliorem uſum accommodatus: nec non tractatus ipſius, IL CAMBISTA ISTRUITO; CONSULATUS MARIS, *cum ejuſdem explicatione. Et Elucubrationes, ac Reſolutiones ad Statuta Januæ de Decretis, ac de Succeſſionibus ab Inteſtato.*

QUIBUS OMNIBUS IN HAC SECUNDA EDITIONE
à pluribus præli mendis expurgata, acceſſere primæ ditiſſimæ
Additiones, & aliæ plurimæ Additiones, & Adnotationes
ejuſdem celeberrimi Auctoris nunc primùm editæ.

UNA CUM LOCUPLETISSIMIS INDICIBUS, ET SUMMARIIS denuò correctis, & ampliatis, Argumenta, Materias omnes Diſcurſuum de Commercio, Tractatus de Avariis, Cambiſtæ Inſtructi, Conſulatus Maris, & Elucubrationum, ac Reſolutionum ad Statuta Januæ &c. continentibus.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS, MDCCXL.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

INDEX ARGUMENTORUM.

DISCURSUS CXXI.
Januen. Avariæ, ſeu Contributionis.

AN Avaria, ſeu Contributio debeatur, quando ob culpam Navarchi Navis facta eſt peſte ſuſpecta, ita ut nullibi propter hanc ſuſpicionem admiſſa fuerit. Qua occaſione agitur de Avaria, ſeu Contributione vera, & propria, vulgo *Avaria Groſſa* nuncupata, necnon ex quo modo ea diſtinguatur ab impropria; Item diſcutiuntur plures caſus, in quibus Avaria propria debetur, vel non.

DISCURSUS CXXII.
In eadem Cauſa.

Agitur de pluribus caſibus, in quibus Magiſter Navis tenetur ad refectionem damnorum ſua culpa, aut negligentia Navi, & Mercibus illatorum.

Explicatur culpa lata, levis, & leviſſima, & differentia unius ab altera.

DISCURSUS CXXIII.
Liburnen. Vindicationis Mercium, ſeu Pretii.

An Mercator, qui res, aut merces bona fide ab alio emit, teneatur illas abſque ſui pretii refuſione vero Domino reſtituere, late hic agitur, ubi plures declarationes, & limitationes pro hujus materiæ elucidatione afferuntur.

Agitur etiam de rebus, vel mercibus à Piratis emptis; an ſcilicet illæ reſtitui debeant vero Domino.

DISCURSUS CXXIV.
In eadem Cauſa.

Mercator, qui emit bona fide, vel in ſolutum, vel in pignus recepit ab altero Mercatore res, vel merces ad alios ſpectantes, an teneatur eas, vel illarum pretium veris Dominis reſtituere hic proponitur, & regulariter affirmativè reſolvitur, ſed plures declarationes, & limitationes ad materiam deducuntur.

Et ſimiliter diſcutitur an creditori liceat ſolutionem, vel ſatisfactionem ſui crediti procurare in præjudicium aliorum creditorum à ſuo debitore, qui non eſſet ſolvendo, vel eſſet Decoctus, vel decoctioni proximus.

DISCURSUS CXXV.
Liburnen. Pecuniaria, ſeu Mandati.

Mandatarius, vel Commiſſionarius licèt habuerit mandatum à ſuo Correſponſore vendendi merces ſolum pecunia præſenti, & numerata, poteſt eas vendere etiam dilato pretio, quando non reperit emptores, qui præſenti pecunia eas emere velint. Quod tamen procedit ſi mandatarius non potuerit abſque detrimento Negotii, vel mercium prius certiorem facere ſuum Correſponſorem, & reſponſionem ab eo expectare.

Qua occaſione magiſtraliter traditur in quibus caſibus valeat mandati fines excedere, tum etiam in quibus teneatur excedere, imò contra mandatum agere.

Ad validitatem Ratificationis ſufficit, quod ratificans expreſſum mandati, ſcientiam habuerit de ſubſtantialibus contractus, vel Negotii ratificati, licet eam non habuerit circa qualitates accidentales, vel quoad ea, quæ non poterant reddere deteriorem conditionem Ratificantis.

Fides omnino præſtari debet Libris, literis, & computis Mandatarii, Commiſſarii, aut Inſtitoris, eorumque aſſertionibus per eos in eiſdem Libris, & Literis, & computis factis circa geſtionem, vel adminiſtrationem, aut bonum, vel malum ſucceſſum Negotiorum, vel mercium ſuorum correſponſorum, niſi per iſtos contrarium probetur.

An, & quando credi poſſit Mandatario, ſeu Commiſſionario alleganti impedimentum aliquod, ob quod non potuit exequi Mandatum ſui correſpondentis.

DISCURSUS CXXVI.
In eadem Cauſa.

Latiſſimè agitur cum ſuis diſtinctionibus, & declarationibus ad intelligentiam plurimorum Textuum articulus ille admodum difficilis, an nempe Mercator commendans apud ſuum correſponſorem aliquam perſonam, vel ei ſuadens ad contrahendum cum illo, vel ei credendum res, aut pecunias, efficiatur illius fidejuſſor.

Mandans alicui, ut credat alteri res, & pecunias, tenetur actione Mandati erga mandatarium, eoque magis ſi ſcripſit, vel dedit mandatum hiſce verbis, *il tutto ſopra di me*, aut *a mio riſico*, aut *a mia conto*, & ſimilibus.

DISCURSUS CXXVII.
Veneta Aſſecurationis Cambii Maritimi.

Aſſecuratio, vel Cambium maritimum factum ſuper Navi an intelligatur factum dumtaxat ſuper corpore Navis; vel etiam ſuper mercibus in ea exiſtentibus.

Explicatur formula apodixis Genuenſis aſſecurationis.

DISCURSUS CXXVIII.
Liburnen. Complementi Societatis.

Societate finita per mortem unius Socii, ad quem pertineat adminiſtratio Negotiorum inchoatorum, & ut dicitur *lo ſtralcio*, oſtenditur.

DISCURSUS CXXIX.
Cydonia Aſſecurationis.

Aſſecurator quando teneatur de culpa Navarchi.

Aſſecuratio facta ſuper mercibus, an debeatur etiam ſuper pretio ex mercibus redacto.

DISCURSUS CXXX.
Lucana Concurſus Creditorum.

Statutum Laicale mandans, quod creditores omnes ſuper bonis Debitoris decocti per æs, & librum concurrere debeant, nulla inter eos ſervata prioritate, vel anterioritate Hypothecæ, comprehendit contractus juratos, forenſes, & Perſonas Eccleſiaſticas.

Statutum quando valeat de bonis ſuorum ſubditorum extra territorium poſitis diſponere.

Judex quando debeat in deciſionis attendere Statutum alterius loci, vel Territorii.

DISCURSUS CXXXI.
Januen. Literarum Cambii Maritimi.

Mandati exceſſus, quando cenſeatur ratificatus à Mandante.

Et commendans perſonam aliquam an cenſeatur pro ea fidejubere.

DISCURSUS CXXXII.
Januen. Traditionis Mercium.

Venditionis contractus ob non ſecutam adimplementum, vel traditionem mercium tempore præfixo, an valeat reſcindi: & negative reſolvitur in noſtro caſu.

DISCURSUS CXXXIII.
Liburnen. Sequeſtri.

Mercator, ſi ſuo correſpondali mandaverit ſuam pecuniam, quæ apud illum remanet, in aliquo negocio collocare, an correſpondalis poſſit illam in ſuo negotio ponere. Et quomodo, & ex quibus actibus etiam tacitis, vel conjecturalibus deprehendi valeat, quod id à correſpondali executioni fuerit demandatum.

DISCURSUS CXXXIV.
Liburnen. Aſſecurationis Navis.

Aſſecurator an teneatur ad ſummam aſſecuratam, ſi ſequatur ſiniſtrum ob mutationem itineris factam à Magiſtro Navis, ad explicationem textus *in l. qui ſponſes. C. de Naulcul. lib. 11.*

Explicatur clauſula apponi ſolita in Apocis Aſſecurationis, vulgo *di poter navigare innanzi, e in dietro, a deſtra, ed a ſiniſtra.*

DISCURSUS CXXXV.
Nullius Compenſationis.

An Compenſatio inter Mercatores ipſo jure inducatur; & an ſeu valeat de debito proprio cum alieno credito, quando Compenſationis tempore Mercatores non erant decocti.

Et quando imminet decoctio vel aliud periculum amiſſionis crediti, an compenſatio à lege ipſo Jure inducatur, nullo hominis facto concurrente, ante momentum ipſius decoctionis, vel periculi imminentis, quamvis computa debiti, & crediti fuerint ſeparatim in Libro à Mercatore annotata, quod inter Mercatores dicitur *in conto a parte*, & licet creditum, vel debitum eſſet in diem.

Ignorantia Juris, quando excuſet.

JOSEPHI LAURENTII MARIÆ
DE CASAREGIS
J.C. GENUENSIS COLLEGIATI,
Rotæ Florentinæ Auditoris, & pro S. Reg. Celſ. Conſiliarii Juſtitiæ,

DISCURSUS LEGALES
DE COMMERCIO.

ARGUMENTUM.

AN Avaria, ſeu Contributio debeatur, quando ob culpam Navarchi Navis facta eſt peſte ſuſpecta, ita ut nullibi propter hanc ſuſpicionem admiſſa fuerit. Qua occaſione agitur de Avaria, ſeu Contributione vera, & propria, vulgò *Avaria Groſſa* nuncupata, necnon ex quo modo ea diſtinguatur ab impropria; item diſcutiuntur plures caſus in quibus Avaria propriè debetur, vel non.

SUMMARIUM.

1 *Avaria Groſſa definitio.*

2 *Leges Romanorum loquuntur tantum de Avaria, ſeu Contributione propter jactum rerum, aut Mercium. Tamen extenſæ fuerunt à Doctoribus ad omne aliud damnum Navi, aut Mercibus cauſatum. Ibid.*

3 *Avaria non debetur ob damnum ex caſu mere fortuito proveniens, & n. 6. 11. & ſeq.*

4 *Avaria non debetur ſi ceſſat utilitas, ob quam damnum voluntariè illatum fuit, & n. 13.*

7 *Neque debetur ob damnum, quod à tempeſtate, fulmine, vel à Piratis Navis paſſa fuit, & n. 8.*

9 *In materia Avariæ ſervandæ ſunt hodiè conſuetudines Conſulatus maris, non leges Romanorum, & de ratione.*

10 *Avaria propria, & non impropria debetur.*

12 *Peſtis ſuſpiciones caſus mere fortuitos adnumerantur.*

14 *Declaratur ordinatio maritima Galliæ lib. 2. n. 7. des Avaries art. 2. & art. 7.*

15 *Legis, vel Conſtitutionis non modò verba conſideranda, ſed ratio, & effectus.*

16 *Damnum Navi inferri poteſt, ut ab imminenti majori damno, & periculo ea cum mercibus liberetur.*

17 *Quidquid agitur poſt damnum caſum fortuitum non amplius ex Conſilio, ſed ex neceſſitate agitur.*

18 *Avaria non debetur quando Navarchus iter divertere, vel moram in dicto portu trahere coactus fuit reficiendi cauſa inſtrumenta Navis.*

19 *Item non debetur ob impenſas Navi factas poſt caſum ſiniſtrum, etſi Mercium conſervationem reſpiciant.*

20 *Promiſſio conditionalis non adimpleta conditione evaneſcit.*

21 *Promittens aliquid ſolvere promiſiſſe intelligitur, quatenus de jure tenetur.*

22 *Promiſſio extorta quamvis jurata nihil valet.*

23 *Promiſſio vi extorta eſt reſcindenda.*

Januen. Avariæ, ſeu Contributionis.

DISCURSUS CXXI.

UT faciliùs, dilucidiùſque prima quæſtio reſolvatur, etiamque hujus rei occaſione hujuſmodi materia magiſtraliter agitur, ſubinde mihi præmittendum eſſe video, quid ſit Avaria, ſeu Contributio illa vera, & propria, vulgò *Groſſa* nuncupata, & à ſimplici, ſeu impropria quæ diverſa.

Sciendum eſt itaque Avariam Groſſam eſſe Contributionem pro portione rerum ſervatarum reficiendi cauſa damni voluntario alicujus facto alterius rebus illati, ut ab imminenti periculo cætera evaderent, quemadmodum iiſdem ferè verbis conſtitutum eſt *in l. 1. & 2. §. Si conſervatis legſin. & §. Si Navis in principio, & l. cum Arbor 3. ff. ad l. Rhod. de jactu* ibique DD. & maximè *Pekius, & Vinnius ipſius Pekii commentator, & Vvan-Leeuven. Addit. ad Quintin. Voetſen de Avar. n. 34. 35. impreſſ. poſt meum Tr. de Commerc. Kuriek. ad Jus Maritim. Hanſeatic. titul. 8.* Nos plenè *diſc. 19. ſemper tar. & diſc. 45. n. 2. de Comm.* 1

Dii autem Juris Romani, Rhodiique textus, etſi loquantur de damno ob jactum rerum, evenientque illato, ſuerunt tamen interpretationis causâ à Noſtris Juris Profeſſoribus jure merito extenſi ad quodcumque aliud damnum, quod in ſimilibus caſibus, ſive terra, ſive mari voluntariè datum fuit, ut res aliorum ſervarentur, *Pekius ad l. 1. n. 1. ff. ad l. Rhod. de jactu. Vinn. ad eumdem Pekium in l. 2. §. Si conſervatis lit. A. fol. 206. ff. ad l. Rhod. Kuriek. ad Jus marit. Hanſeatic. tit. 8. art. 4. verſ. nam eſt, Marquard. de jure Mercat. lib. 3. cap. 4. num. 3.* 2

Diximus in allata Avariæ definitione damnum, ob quod Contributio facienda eſt, tale eſſe debere, ut voluntariè ſit illatum, id eſt aliquo voluntario hominis facto, qui illud elegerit ut res aliorum ſervarentur, idque conſultiſſimè ſcripſimus; Nam ſi damnum aut Navi, aut Mercibus contigerit ex caſu tantum fortuito, nullo hominis voluntario 3 facto, conſenſuque concurrente, nulla tunc Avaria, ſeu contributio debebitur per expreſſum text. *in l. 4. §. Si conſervatis in princ. §. Si Navis verſ. quod vero & l. 5. 6. 7. ff. ad l. Rhod. de jact.* quarum Legum auctoritati innixi illud idem egregiè confirmant *Kuriek. ad jus maritim. Hanſeatic. tit. 8. art. 2. in priori caſu, Vinn. ad Pekium in l. 2. §. Si conſervatis lit. B. fol. 207. & lit. C. & §. Si Navis lit. B. fol. 218. & in l. cum arbor. 3. lit. A. fol. 239. & in l. 6. lit. A.*